

Michael Cobabus

Programma Quo Cives Academici ad Passionalia Sacra Domini Nostri Jesu Christi, Sancte ac sobrie recolenda invitantur, & a Bacchi Festo avocantur

Rostochii: Kilius, 1659

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735632863>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA
Quo
CIVES ACADEMICI
ad
PASSIONALIA SACRA
DOMINI NOSTRI

68.

JESU CHRISTI
Sanctè ac sobriè recolenda invi-
tantur, & à Bacchi Festo avocantur,

propositum
RECTORE
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
MICHAELE COBABO,
Theol. D. & P. P.



ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII,
Acad. Typogr. ANNO M. DC. LIX.

ITa ferè, in hac mundi perversitate, ubiq; res agitur, & contingit, ut, quò quid est præstantius, majoremq; habet virtutem & efficaciam, eò magis mortales illud respiciant, & averfentur. Etenim, quis indies nò videt & experitur, quòd homines adeò cæcitate mētis sint obducti, ut veræ & solida bona non agnoscant, & amplectantur, sed cæco quodam impetu, animoq; feroci, ad ea ferantur, quæ voluptatis, quamvis citò transeuntis, spem præ se ferunt, in se autem plena sunt doloris & acerbioris. De salutari passionis, & mortis Christi meditatione verè unus quisq; potest dicere, quòd nihil eâ sit præstantius, nihil salutarius, & ad salutem magis necessarium. Nulla res est, inquit B. Chrysostomus, quæ salutem hominis operetur, nisi mors Christi. In hac acquiescit, & gloriatur omnis verus Christianus. Nam Christus æternus Dei filius dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate. Quàm autem pretiosiore morte potuit humanum genus redimi, quàm illius, qui est Dei & hominis filius? Hic obtulit semetipsum, & sanguinem pretiosissimum pro peccatis nostris effudit, ut exacto labore semen longævum videret, semen Dei, quòd in cœlestis hæreditatis veniret consortium. Quotquot enim in nomen ejus crediderunt, illis dedit hanc dignitatem, ut filii Dei fierent. Nulla autem pro peccatis reliqua est hostia, si quis Christum conculca-verit, & sanguinem, quo est redemptus & liberatus, profa-

profanum duxerit. Unicus igitur ille est hæres, per
cujus mortem & sanguinem, hæreditas gloriæ cœle-
stis venit ad nos homines. Tantum autem abest, ut
hoc ineffabile & salutare bonum mortales devotè
agnoscant, & ardenti desiderio amplectantur, ut et-
iam hoc anni tempore, quod salutari consilio, &
gravissimo judicio à piis majorib9, passionis & mor-
tis Christi meditationi est destinatum, quotannis
Baccho turpiter serviant, & voluptatibus indulgen-
tes, tempus consumant diurnis & nocturnis hellua-
tionibus, aliisq; rebus illicitis plurimis. Quid enim
mali nunc non molitur Diabolus, summus ille vene-
ficus, & calumniator maximus, cui nihil magis curæ
est, quam ut mortales excæcet, iisq; adimat omnem
mortis Christi intuitum & memoriam? Hic fallaciis,
cuniculis, aliisq; artibus pravis, totius humani gene-
ris interitum perpetuò machinatur, ut mortales in
sua trahat diverticula. Quam seducendi & decipien-
di artem, astutiâ serpentinâ in paradiso adversus pri-
mos parentes, uti à multis retro seculis exercere ce-
pit, ita eandem in hunc usq; diem continuare, omni-
bus modis laborat. Præcipuè verò vires suas eò astu-
tè intendit, ut animos incautos atque tepescentes, à
sobrietate & abstinence deductos, voluptatum ille-
cebris irretiat. Nullum namq; venenum dulcius es-
se novit, quam quod Bacchus suis servis propinat.
Christiani verò omnes Domino nostro Jesu Christo
nomen dederunt in Baptismo, & in album Ecclesiæ

rece-

recepti, in ipsius Regis verba jurarunt, & quod ex
ipsum formula atq; praescripto vivere velint, sacra-
mento sanctissime polliciti sunt. Quibus omnibus
etsi nihil debebat esse commercii cum malo isto spiri-
tu, multi tamen, qui ad subeundum crucis onus ac
probrum sese comparare detrectant, parum hone-
stis, & vitae Christianae non convenientibus actioni-
bus ita indulgent, ut pietas periclitetur, conscientia
vulneretur, & Deus gravissime offendatur. Utinam
autem Christum, hodie in Ecclesia Christiana pero-
rantem, omnes Christiani devotè audirent, ejusque
vestigia sequi non detrectarent. Ecce, inquit ille,
ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur
omnia, quae scripta sunt, per Prophetas, de filio ho-
minis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & fla-
gellabitur, & conspuetur, & postquam flagellave-
runt, occident eum. Tam alacriter, nemine co-
gente, Christus passionis & mortis suae iter suscipit,
suaque sponte crucem & mortem pro humano genere
subit acerbissimam, ut Christianorum, qui pie vo-
lunt vivere, & ad thronum divinae gratiae admitti,
proprium esse credamus, multa adversa in hoc mun-
do aequo animo ferre ac pati. Si putas, inquit Bea-
tus Augustinus, te non habere tribulationes, non-
dum capisti esse Christianus. Non enim ita redemit
nos Christus, ut nihil adversi pateremur, omniaque in
mundo prosperè nobis succederent, sed ut adversi-
tates omnes per patientiam possimus vincere & su-
pera-

perare. Quemadmodum enim nauta non petit, ut nullæ in oceano sint tempestates, sed omni labore curat, ut tempestate ingruente navim rectè gubernet: Ita verus Christianus non debet velle, & desiderare, ut nullæ veniant tribulationes & persecuciones; sed ut eas patienter & æquo animo norit ferre & superare. Audiamus hoc loco Apostolum organum illud electum, Nemo moveatur, inquit ille, in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positi simus, ut non tantum gloriemur in spe gloriæ filiorum Dei, sed etiam gloriemur in angustiis & calamitatibus. Sicuti igitur omnes veros Christianos decet, ut, vanitatem mundi spretâ, passionem & mortem Christi devotè recolant, suamq; vitam, quantum fieri potest, vitæ Christi conforment: Veltrum quoque erit, Cives Academici, ut cum ab omni peccandi libidine, tum ab impio, & stultitiæ pleno Bacchanaliorum festo, tot tantorumq; vitiorum seminario seriò abstinere, & intra limites vocationis, & officii vestri, juxta Christi regulas omnibus præscriptas, maneatis, omniq; curâ & industriâ caveatis, ne humani generis hosti in prædam cedatis, si, neglectâ Christi voce, à salutis tramite deficiatis, atq; in æterni exitii barathrum præcipites ruatis. Nemo vestrum est, qui non innumera à Christo accepit beneficia. Omnes hîc cernere & agnoscere debebatis abundantes illas & inexhaustas divinæ gratiæ divitias. Quis enim vestrum non legit & audivit, filium DEI
unige-

unigenitum, pro vestris & totius humani generis
peccatis, in vincula coniectum, ludibrio habitum,
spinis coronatum, in crucem actum, clavis confi-
xum, hastâ vulneratum, & crudeli supplicio ma-
ctatum atq; occisum. Non ille pugnavit hostem cæ-
dendo, vulnerando & occidendo, quod quidem ipsi
non fuisset difficile, sed cadendo, vulnera recipien-
do, mortem denique appetendo: quod patienter
ferre longè erat difficilius, quàm hostem cædere, &
occidere. Quid igitur potest esse intolerabilius,
quàm vulneribus Christi, Ecclesiæ capitis, non affi-
ci, sed vocem ad impios clamores atq; tumultus ex-
citare, manus ad gladium parare, pedes ad exitium di-
gere? Pater ut seruum redimat, filio non par-
cit; filius lacrymis testatur affectum, brachiis & ma-
nibus pennis ad amplexum nos invitat, nihilq; omni-
um, quæ ad nos patri reconciliandos sunt necessa-
ria, modò nos, quæ nostrarum sunt partium, præste-
mus, intermittit. Fugitote itaque ineptam illam &
damnatam peccandi, insaniendiq; libidinem, Gen-
tiles festa tenebrarum celebrabant: vobis autem or-
ta est dies per Dominum nostrum Iesum Christum
De Judæis dicit Moses: gens absq; consilio est; de
vobis autem quid dicet Ecclesia Christi, si salutare
Regis & capitis vestri admonitiones ridetis & asper-
namini? Cogitate Diabolum illis; quos sensibus
maximè & præsentibus rebus duci novit, lata qui-
dem ingerere, & lubricas inculcare voluptates.
|Caveto.


Cavetote autem ne blandimentis & illecebris ejus
capti passione & morte Christi abutamini. Si Chri-
stus, inquit Divus Augustinus, hinc sine flagello non
exiit, qui tamen sine peccato huc venit, quomodo
flagellis digni non sunt, qui huc cum peccatis veni-
unt, & in peccatis vivunt? Et Divus Gregorius:
Quoties mortem Salvatoris attendo, & patientiam
Jobi, & mortem Baptistæ considero, toties dico:
O peccator, considera, quid passuri sint illi, quos re-
probat, si tanta patiuntur, quos amat. Nolite igitur
vobis infernales accessere poenas, & horrendam Dei
iram. Non enim pro vestro arbitrio exiget Deus
rationem, sed sicut infinitam demonstravit potenti-
am in mundi cratione, infinitam sapientiam in mun-
di gubernatione, infinitam misericordiam in mundi
redemptione, ita infinitam quoque justitiam manife-
stabit in mundi judicatione. Si Magistratus silet, &
vestram temeritatem & insaniam non inhibet, & co-
ercet; Dominus aliquando vobiscum loquetur in
furore suo, & non tacebit: Ipse omnem iniquitatem
occultam manifestâ severitate coercebit, ac debitâ
poenâ mactabit. Ecce! loquitur nunc omnis mundi
angulus, ut ab illicitis hujus seculi voluptatibus &
iniquitatibus abstineatis, & peccandi licentiâ abje-
ctâ & repudiatâ, piiâ mediationibus, jejuniiis, & pre-
cibus omne tempus transigatis. Loquitur miseran-
da & deploranda terrarum facies, vicinorum ejula-
tus, & profusi sanguinis Christianorum ubertas. Ne-

mo.

mō vestrum est, qui non videat rivulos gravissima-
rum pœnarum in has, aliasq; terras ita fluere, ut nisi
Deus optimus maximus canales illarum obstruat,
ostia claudat, & instantem diluviem avertat clemen-
ter, submersionis periculo simus quam proximi. Ac-
cedite igitur contrito pectore ad thronum divinæ
gratiæ, Deumq; supplice voce invocate, sævientem
Erinnyn reprimat, & compescat; ^{Ειρήνην} verò optatam
clementissimè restituat, animos dissidentes concili-
et, luxata membra combinet, Spiritu pacis regat atq;
corroboret. Jejunia celebrate, & ab omni peccato de-
sistite, nullum capite cibum malitiæ, nullas sumite
epulas voluptatis, abstinete à pravis sermonibus &
calumniis. Neesse enim est, ut, si fructuosè corpori
esca debeat subtrahi, mens quoq; vestra ab omni ini-
quitate calumnia & turpitudine revocetur, & vestra
jejunia cum vitæ innocentia, virtutum amore, casti-
tate, humilitate & patientia sint conjuncta. Omnes
Deum sincero & contrito pectore colite. Nemo le-
ges Academicas violet, & magistratum offendat.
Cogitate, Deum serio magistratui mandasse, ut sibi
subjectos certis legibus constringat, quibus singulos
in suo officio contineat, & suæ Reipublicæ bonum
conservet, & promoveat. Secus facientes, & magi-
stratum contemptim habentes excandescentiæ divi-
næ vim certissimè experientur.

P. P. ROSTOCHI, sub Sigillo Rectoratus
die 13. Februarii Anno 1659,

Cavetote autem ne blandimentis & capti passione & morte Christi abutastus, inquit Divus Augustinus, hinc si exiit, qui tamen sine peccato huc vel flagellis digni non sunt, qui huc cumunt, & in peccatis vivunt? Et Divus Jobi, & mortem Baptistæ considero, O peccator, considera, quid passuri si probat, si tanta patiuntur, quos amat vobis infernales accessere poenas, & h iram. Non enim pro vestro arbitri rationem, sed sicut infinitam demonstram in mundi cratione, infinitam sapie di gubernatione, infinitam misericordie redemptione, ita infinitam quoque justitiam stabit in mundi judicatione. Si Magister vestram temeritatem & insaniam non excuset; Dominus aliquando vobiscum in furore suo, & non tacebit: Ipse omnes occultam manifestam severitate coercent poenam mactabit. Ecce! loquitur nunc angulus, ut ab illicitis hujus seculi vobis iniquitatibus abstineatis, & peccandi acta & repudiatam, pium mediationibus, precibus omne tempus transigatis. Loquenda & deploranda terrarum facies, videtur; & profusi sanguinis Christianorum



ejus
Chri
non
odo
eni
rius:
iam
ico:
s re
itur
Dei
Deus
anti
un
ndi
nife
t, &
co
r in
tem
bita
ndi
s &
oje
pre
an
ula
Ne
mo: